

Petrus de Vinea

*Ep. I 25 (Commissi nobis
cura regiminis et imperialis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 25 (Commissi nobis
cura regiminis et imperialis...)*

14 maggio 1238; 14 giugno 1238; 22 febbraio 1239

Constitutiones editae per imperatorem, contra hereticos Fridericus et cetera, dilectis principibus suis et cetera.

1. Commissi nobis cura regiminis et imperialis diadematis, cui dante Domino presidemus, fastigium dignitatis materiale, quo diuisim a sacerdotio fungimur, gladium aduersus hostes fidei in exterminium hereticae prauitatis exigunt exercendum, ut uipereos perfidiae filios contra Deum et Ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in iudicio et iustitia persequamur, maleficos uiuere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundus inficitur et regi fidelium per oues morbidas grauior infligitur corruptela. 2. Statuimus itaque, sancientes, quod heretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium dampnati fuerint ab Ecclesia et seculari iudicio assignati, animaduersione debita puniantur. Si uero aliqui de predictis, postquam fuerint deprehensi, terrii metu mortis, redire uoluerint ad fidei unitatem, iuxta canonicas sanctiones, ad agendum penitentiam in perpetuum carceri detrudantur. 3. Preterea, quicumque heretici reperti fuerint in ciuitatibus, oppidis, seu locis Imperii per inquisitores aliquos ab Apostolica Sede datos et alios catholicae fidei zelatores, ii, qui iurisdictionem ibidem habuerint ad inquisitorum et aliorum catholicorum uirorum insinuationem eos capere teneantur et eos captos arctius custodire, donec, per censuram ecclesiasticam dampnatos, dampnabili morte perimant, qui fidei sacramenta et gloriam eterne uitae dampnabant. 4. Simili quoque pena plecti censemus omnes illos, quos ad fouendum hereticorum errores callidus hostis suscitatur aduocatus, uel parat illicitos defensores, maxime cum facinus quos inquinat et

equet, nisi monitione premissa destiterint et eorum uitae duxerint consulendum. 5. Eos etiam, qui conuicti in uno loco de heresi ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere uirus hereticae prauitatis, debitam censemus subire uindictam, ut super hoc, per uiros ab eodem errore conuersos ad fidem necnon et per alios, qui eos de heresi conuicerunt, quod in hoc casu concedimus licite faciendum, euidentis testimonium habeatur. 6. Item mortis sententiae ducimus adiciendos, si quos hereticorum ad iudicium tractos, in extremae uitae periculo, heresim abiurantes, postmodum de falso iuramento constiterit, et de fide mentita conuinci ac eos, quos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurrere recidiuam, ut sibi dampnabilius iniquitas sit mentita, et penam debitam mendacium non euadat. 7. Omne insuper proclamationis et appellationis beneficium ab hereticis, receptatoribus et fautoribus eorundem penitus amouemus, uolentes ut de finibus Imperii, in quibus semper debet existere fida fides, hereticae labis genimina modis omnibus deleantur. 8. Ceterum, quia quanto maiora diuinae nutu miserationis accepimus et altiore locum prae filiis hominum obtinemus, tanto deuotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti, si quando in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit auctoritas, si reos lesae maiestatis in personis eorum et liberorum suorum exheredatione dampnamus, multo fortius iustiusque contra Dei blasphematores numinis et catholicae detractores fidei prouocamur, eorundem hereticorum receptatorum, fautorum et aduocatorum suorum, ac eorum heredes et posteros, usque ad secundam progeniem, cunctis beneficiis temporalibus, publicis officiis et honoribus imperiali auctoritate priuantes, ut paterni memoria criminis continuo merore

tabescant, uere scientes, quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter ulciscens. Nec quidem a misericordiae finibus duximus excludendum, ut, si qui paternae heresis non sequaces latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacumque reatus illorum animaduersione plectantur, predictae punitioni non subiaceat innocentia filiorum. 9. Ad haec notum fieri uolumus fratres Minores et Predicatores, pro fidei negotio in partibus Imperii nostri contra hereticos deputatos, ceteros quoque, qui ad hereticos iudicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab Imperio proscripti fuerint, eundo, morando et redeundo sub nostri et Imperii speciali defensione receptos, apud omnes sub ope ac recommendatione fidelium Imperii esse uolumus inoffensos; uniuersitati uestrae mandantes, quatenus, quocumque et apud quemcumque uestrum peruenerint, benigne recipiatis eosdem, et personas eorum ab incursu hereticorum eis insidiantium conseruantes indempnes, omne consilium, ducatum, et auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis. 10. Hereticos uero, quos uobis ostenderint ipsi, in iurisdictione uestra singuli capientes, in diligenti custodia detineatis eosdem, ut post ecclesiasticae dampnationis iudicium penam subeant, quam merentur, scituri quod, in ipsius executione negotii, gratum Deo et laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii uanam et insolitam hereticae prauitatis infamiam, opem et operam una cum eisdem fratribus prestiteritis efficacem, etsiquis exinde foret negligens uel remissus, ac inutilis coram Deo et in conspectu nostro poterit culpabilis apparere. 11. Datum Paduae, regnante imperatore nostro Friderico et et cetera.